Cum, post Deum Opt. Max. ex Illustrissimi & Clementissimi nostri principis voluntate, ita mea studia mihi instituenda inposterum sint, ut neque officio saltem mihi ab Amplissimis hujus Academiae proceribus commisso superesse; neque Venerandae huic Facultati philosophicae cohabitare possim: pro ut ante omnia leges nostrae postulant, ipsa etiam honestas jubet atque suadet; eandem de discessu & resignatione mea commonefaciendam, & eidem gratias pro beneficiis & honoribus, quibus ab eadem affectus fui, mihi agendas omnimodo judicavi. Etsi enim ab eo tempore, quo vestra intercessione Amplissimus Senatus Academicus officium in Contubernio Regentis mihi commisit, saepe mihi gratulatus fuerim, occasionem mihi oblatum commodam esse, qua meum vicissim animum erga Academiam hanc, à qua tot tantaque beneficia accepi, declararem; adhuc tamen vires me potius & facultatem quam voluntatem deficere sentiebam: illud ipsum vero melius me assecuturum persuasum habebam, si cum studiis, quae Theoretica maxima ex parte saltem fuerint, praxin aliquam, experientiam, linguarumque aliarum cognitionem & exterarum regionum perlustrationem conjungerem. Cui meo instituto cum Clementissimum nostrum principem minime refragari viderem; patronos quoque meos ad illud adhortari & incitare intelligerem; Deum per hac media me vocantem secutus fui. Quam ob causam Venerandum hunc consessum philosophicum obnixe rogo & obtestor, ut hunc meum discessum & resignationem aequo animo suscipiat & in partem optimam interpretetur; cui simul ea qua possum & debeo observantia gratias maximas ago, tum quod sua nominatione & commendatione apud Amplissimum Academiae Senatum id effecerit, ut officium, quod hucusque gessi, mihi commissum fuerit; tum etiam quod in suum Collegium cooptare non dedignatus fuerit. Pro quibus & aliis, quae hoc memorare loco libens supersedeo, beneficiis & honoribus, quibus me vos affecistis, gratam mentem (quia pro tenuitate aliud non superest) se[r]vo; etiam atque etiam petens, si quae dicta, facta, commissa, intermissa ve à me fuerint, quae minime fuit conveniebat, id meae in ejusmodi deliberationibus & collationibus congressibus infantiae adscribatis. Totum hunc ordinem philosophicum, vos et omnes & singulos divinae altissimi protectioni commendo, & Deum obnixe oro, ut seminarium hoc pietatis & verae religionis h. e. Academiam nostram sedulo foveat & sartam tectamque pro virili omni tempore conservare studeantis, donec tandem aliquando ex hac terrestri in coelestem illam Academiam transponamur.

Spectab. & Rever. VV.

Studiosissimi

M. Joannes Fridericus Gernardus.

Fernandes.